



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Index Capitvm Libri Septimi. De professione trium votorum, ac formatis
Coadiutoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

certis supponitur. tis certum est. Nam in constitutionibus solum dicitur ut professi hæc omnia Deo promittant 6. p. cap. 2. §. 1. & 10. p. §. 6. In congregationibus autem generalibus 1. & 3. ut supra in cap. 9. num. 10. citavi, vota hæc simplicia appellantur; ubi forma illa emittendi præscribitur. Ac denique sub eadem voce illa approbavit Gregorius XIII. in Constit. *Ascendente Domino*. Itaque cum hoc certum sit, rationem inquirimus, cur hæc vota non sint solennia, sicut est quartum votum professorum. Et ratio dubitandi esse potest, quia sunt ita annexa tali professioni, sicut quartum votum, omnia enim requiruntur ex peculiari instituto Societatis, & nullum eorum ex sola rei natura erat necessarium. Item omnia sunt æque perpetua, & immutabilia: omnia etiam conferunt ad perfectionem renuntiationem, vel suæ voluntatis, vel honorum omnium, ac honorum temporalium. Denique sunt etiam hæc vota publicè & in manibus prælati, & cum exteriori solennitate.

II. Sed hoc breviter expediri potest. Nam in primis hæc vota, tam ex intentione vouentium, quam Societatis, tanquam simplicia sunt; & ideo non mutant naturam votorum simplicium, etiam si coram prælato, & in præsentia multorum fiant, ut in simili de coadiutoribus formatis dicitur 5. p. Constit. cap. 4. declarat. 1. Quamvis enim sola intentio vouentis non sufficiat ad voti solennitatem, necessaria tamen est formalis, vel virtualis, & ideo, si ex intentione vouentis votum tantum sit, ut simplex, optimum argumentum est re ipsa solum esse simplex, maxime cum illa intentio ex nullo errore procedat. Deinde hæc vota omnino sunt de futuro, & non participant, ut sic dicam, traditionem de præsentia, nec proximè, ac per se ordinantur ad confirmandam illam, sicut ordinantur in Societate non solum tria ordinaria vota, sed etiam quartum votum professorum, ut supra in cap. 4. ad finem declarauimus. Assumptum patet ex ipsa forma vouendi, & ex rebus ipsis, quæ promittuntur, quæ magis pertinent ad tollenda incommoda, vel impedimenta perfectionis in futurum, quam ad statum ipsum perfectionis in præsentia stabilendum. Tertiò longe aliter hæc vota connexa sunt professioni Societatis, quam quartum de obedientia præstanda Põfici circa missiones: nam hoc est per se primò requisitum, ex vi finis primarij, ad quem ordinatur Societas. Vnde sicut in statu religionis, ut sic, tria vota censentur esse de medijs essentialiter necessa-

riis ad finem perfectionis, ita in Societate hoc quartum votum est de medio essentialiter necessario ad propriam perfectionem, & finem huius instituti. Ac verò hæc vota non sunt tanquam essentialiter necessaria, sed tanquam secundariò conducentia ad conseruationem instituti: vnde materia illarum non continet media per se ordinata, ac simpliciter necessaria ad finem Societatis: sed ad remouenda aliqua impedimenta. Quartò hoc declarat modus emittendi hæc vota: nam quartum votum in ipsa met professione emittitur, tanquam ad illam essentialiter pertinens: hæc autè vota post aliquod tempus, & interdum post aliquot dies emittuntur, & qui ea promittit, incipit dicere: *Ego N. professus Societatis promitto*, &c. significans, hæc non pertinere ad professionem, sed supponere illam; in aliis verò substantialibus votis dicit, *Ego professionem facio, & promitto*; & ideo in accidentali etiam solennitate est magna diuersitas. Nam hæc vota licet fiant coram prælato, & aliis propter rei grauitatem, & ut de illo Societati publicè constet; non tamen fieri solent publicè in Ecclesia, nec cum aliis solennitatibus, cum quibus professionem fieri supra in cap. 5. vidimus. Denique hæc vota nullum moralem habent effectum, iure positiuo communi, aut speciali Societatis additum, sed solum obligationem, quam vi sua inducunt; votum autem solenne semper habet aliquem huiusmodi effectum moralem, ut de tribus substantialibus in præcedenti tomo, & de quarto voto Societatis, in cap. 4. n. 38. ostendimus. Vnde etiam fit ut professi, qui in Societate quartum illud votum emittunt, ratione illius censeantur habere in Societate primum locum, ut habetur in examine cap. 1. §. 8. & p. 5. Constit. cap. 1. & 2. & ideo illi soli sunt, qui ordinario iure Societatis vocem habent actiuam, & passiuam in electione Generalis: professi autem, qui quartum votum solenne non emittunt, quamvis alia quinque vota faciant, ut constat ex Extrauag. *Ascendente Domino*, atque ex quarta cõgreg. decreto 39. in illo gradu non constituuntur, nec prædictum suffragium habent, & ideo dicimus talia vota nullum effectum moralem, quasi positiuum habere; sunt ergo omnino simplicia; & diuersitas inter illa, & quartum votum professorum, ex dictis satis declarata est. Si quis verò querat an hæc vota sint dispensabilia per superiores, siquidem simplicia sunt, consulat ea de re tractatum 1. huius tomi lib. 2. cap. 12. num. 10.

INDEX CAPITVM LIBRI SEPTIMI.

De professione trium votorum, ac formatis Coadiutoribus.

- I. **C**ur hæc professio in Societate admittatur, & ad quem finem.
- II. Cur Coadiutores spirituales Societatis IESV solennia vota non emittant, & in quo à professis, & Scholaribus differant.
- III. An conueniens fuerit Coadiutores temporales in Societate admitti, & quibus votis incorporentur.
- IV. Generalis illatio de gradibus personarum Societatis.